



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Ad Friburgenses.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

formate animos, quemadmodum Christus Dominus messis, & Societatis nostræ institutum, iustaq; amicorum expectatio sancta à vobis exigūt, & deposita sunt. Mihi vero iam emerito velut seni, ac inutili operario haud parum beneficij contuleritis fratres, si Canisij vestri senioris memoriam vestris & sacrificiis, & precibus, quæ vestra est in me benevolentia, crebro interposueritis: illud spero procuraturi, vt viui, & defuncti primi Patris apud vos memoria non intermoriatur. Bene in Christo valete Patres, fratresq; Carissimi, ac eam præclaræ vestræ Vocationis rationem semper habete, vt professione pauperes, obedientia simplices, spiritu feruentes, & animarum zelo flagrantibus multos in Christo filios generetis, ac nutriatis.

His vocibus, hisque curis infatigabilem sacer Christi Athleta cursum consummabat: multiplicabaturq; in senecta uberi, bene patiens, vt quan- diu superesset in se halitus, & Dei spiritus in naribus suis, diuina monita omnibus annuntiaret. Dum vero longè positos cohortatur socios, & supremis monitis instruit, nequaquam præsentes oblitus est Friburgenses. Itaq; eos dulcissimis hisce verbis affatur. Diuinæ Majestati, vt par est, gra-

*Ad Fribur.
genses.*

f tias

tiasago, atq; per vos carissimi fratres agi quoque
 percipio, quādoquidem cælesti præsidio factum
 est, vt indignus ego velut postremo in terris extru-
 endo pietatis domicilio reseruarer, primumq; illi
 præficerer in hac mea vltima peregrinatione. An-
 ni plures sedecim abierunt, quod obedientia du-
 ce Friburgum accesserim, illicque manserim fa-
 ctus velut præcursor aliorum, vt partim viua vo-
 ce, partim calamo, & scripto in hoc agro Domi-
 nicolaborarem, ac præsertim in spectabili tem-
 ple D. Nicolai euangelizarem. Agnosco sanè in-
 gensbeneficium Domini, cui vitum est me senē
 hoc præstanti inter pagos Helueticos loco tandiu-
 alere, ac benignè tantisper fouere, donec ætas in-
 grauescens inutilem fere operarium reddidit, vt
 palam in Ecclesia docere, ac Dei populo seruire
 prohibear. Igitur confectis aliquot annorum
 laboribus, ad maiorem senilis vitæ tranquillitatē
 adspirare debui, meq; multorum hominum cō-
 uitui, atque familiaritati necessitate magis, quā
 voluntate coactus ita subduxī, vt vitam priuatā
 agerem, velut sarcinas meās collecturus, ac pere-
 grinationi huic finem impositurus, ne alioquin
 vocatus à Deo in patriam, imparatus proficiscar;

Atque

Atque utinam licuisset mihi in ministerio meo
Friburgensibus ita prælucere, sicut Collegij, &
Prouinciæ nostræ seniorem facere oportebat, vt
caritate, & vigilantia me cunctis præsentibus,
& absentibus accommodarem, vitæq; perfectio-
ris exemplar iunioribus declararem. Igitur do-
mesticos fratres amanter moneo, simulq; rogo,
vt quod à me domi, ac foris hac in parte neglectū
fuit, virtute illi sua suppleant, suisque laboribus
in Christo compensent. Excubias agite non so-
lum, vthoc oppidum, eiusq; ditionem in fide sa-
na confirmetis, verùm etiam, vt vicinos lupos, &
vrsos perpetuo insidiantes gladio spiritus arcea-
tis. Præsentem hic Clerum, & Senatum reueren-
ter obseruate, & iuuentutem vobis concreditam-
tum in studiis, tum in Catechismo, omniq; vir-
tute prouehere pergit: nec minus adultis, quam
iunioribus ad Catholicam pietatem instaurandā
verbo, exemplo, & sacramentis simul operam
date. Præterea nequaquam vos obliuio capiat
eximij Patroni, cuius memoria in benedictione
est Domini Francisci Bonhomij Vercellensis E-
piscopi, Legatiq; Apostolici, vt de præsente Hel-
uetia, ita & de societate nostra optimè meriti. Hu-

Francisco Bo-
homio lauda-
tur.